

1795.

18. Faehre, Ernst August: *Vidēs Platōnīs*.
19. Fleck, Ferdinandus Godeffroy: *Hermeneutices tituli paulitarii: De adquirienda vel auctoritate possessione spec. I: De principiis possessoriis, quae a iuris fictionibus proficiuntur*
20. Fleck, Ferdinandus Godeffroy: *De cōstitutione Ichniguentium secundum principia iuriis publici universalis, gentium, Romani atque Germani*
21. Green, Aug. Fries. Sigismundus, pae jas. porca. collarius: *De successione in bona mobilia Schriftsancti, vel alias creati, secundum statuta domicilii, in quos iura civitatis atque sint.*
22. Haarlas, Joannus Gallet: *De iure instituendis noso comitis civicis.*
23. Huebner, Christianus Gottlieb: *Historiae regum Romanarum et iugularis portmentinae auctae earum comparatione cum patriis insitibus. Spec. II.*

1795.

24. Langhansius, Iacobus Fredericus: De jure iuris de culmine
nial secundum principia iuri Romani, Ges-
mansi, Camisci et Iurisci Spec. I.
25. Loeber, Iacobus Berhardus: De iuribus et obliga-
tioribus contatorum
26. Mueller, Iohannes Gottlieb: Super jure primariis
precum ejusque exercitio. Spec. III. Programma,
quo ad orationem auffidalem invitatur.
27. Platnerus, Iacobus, univ. ligg. Lips. procurellarius:
In ridiculum est animi sedis inquirere. Pro-
gramma, quo panegyria medicam inducit.
28. Phoening, Antonius Nauicus: Utrum inter
mercatores adiutant ordinis beneficium
nec ne?

10385
1795,20.
DE
E X H I B I T I O N E
DELINQVENTIVM
SECUNDVM PRINCIPIA
IVRIS PUBLICI VNIVERSALIS, GENTIVM,
ROMANI, ATQVE SAXONICI

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
P R A E S I D E
D. FERDINANDO GOTTHELF
F L E C K
ADV. IMMATR. ET SOCIET. SCIENT. LVS. SVP. SODALI
A. D. II. APRIL. MDCCXCV
H. L. Q. C.
AD DISPVTA NDVM PROPONIT
AVCTOR
CAROLVS THEODORVS GVTJAHR
SORAVIA - LVSATVS

L I P S I A E
EX OFFICINA SOMMERIA.

ЕУНІГІНІСІ

ІМІТІОНІНІСІ

ІМІТІОНІНІСІ

ІМІТІОНІНІСІ

ІМІТІОНІНІСІ

СЕРДІЧНОГОЛІ

ІМІТІОНІНІСІ

ILLVSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMO ATQUE REVERENDISSIMO
S. R. I. COMITI
GEORGIO G VILIELMO
DE HOPFGARTEN
DOMINO ET DYNASTAE IN MVLVERSTEDT, MECHTER-
STEDT, BEVCHA ETC. SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTO-
RIS SAXONIAE INTIMAE ET SANCTIORIS ADMISSIONIS
ADMINISTRO ET COMITI CONSISTORIANO CAPITVLI
MISNENSIS SENIORI PRAEPOSITO BVDISSAE CANTORI
COLLEGII CATHEDRALIS NVMBVRGENSIS NEC NON
ORDINIS IOANNEI MELITENSIS EQVITI
R E L.

FAVTOPI ATQVE PATRONO INDVLGENTISSIMO
HANC DISPVATATIONEM
MAXIMA REVERENTIA ET DEVOTTI ANIMI PIETATE

D. D. D.
CAROLVS THEODORVS GVTJAHR

CHRISTIANI

SPLENDIDISSIMA EDITIONIS

IN LONDINI

GEORGIO CATHERINO

DILECTISSIMO

ОЧИНОМ ТРЕТАЯ ИНДИЯ ПАРАДО ТЛ ОЧИНО
ОТОВИДИЩЕИИ ИЗДАВАЕТСЯ ОДИ АКЦИЕ ТГАДА
АУССАМПА АЗИОНОСНА ТИ ГАМПЕИ НАСКАДЕ НА
ИЗДАНИЕ ОДИМЕДОДО ДАМОДО ТО СПЕЧАРДА
МОСТА САСАДА ОДИМЕДОДО ДАМОДО ТО СПЕЧАРДА
НОИ ОДИГАДОМУ К АЗИОНОСНА СОЛЛО
СОЛЛО СИГИТИИИ АЗИОЛО СИГИТО

СИК

СИЛЮИА ТАУДА ИДОДО ИДИССИА

СИЛЮИА БИССИА СИАВ

СИЛЮИА ЕДО СИДИ ТАУДА ИДИССИА АДИССИА

СИК

GEORGIUS THOMAS CATHERIN

Quum varia earum, quae de iure eiusque natura et disciplinis moveantur, quaestionum capita sunt ac genera, illo potissimum nos allici loco videmus, ut, et quae ad ipsum artis divinae scopum iustitiaeque administrationem, et quae ad ea, quae illam praecedunt, pertineant, dignoscamus. Ut enim in omni re iustus sequendus est ordo, ita, ubi de rerum humanaarum capite summaque agitur, in eo est elaborandum, ut recte omnia et ordine procedant, omniumque prima refutetur invidia eorum, qui ab iniustitia haud raro iustitiam gigni dicitant. Quam scribendi rationem fecutos, si praeiudicialem, ut venia sit verbo, quaestionem dirimendam nos elegisse invenias, non erit, quod alienum dicas ingratumve nos suscepisse laborem. Nam, ut taceam, magis decere eum, qui primus Themidis templum publice adeat, vestibula tangere, quam profana manu effringere penetralia, missoque illo, quod ab hominum opinione petitum erat, arguento, res ipsa fatis superque quo occupemur suppeditabit. De poenis ipsis dicant alii, iisque fortiores, de ratione earum modoque; nos de exigu tantum iuris puniendi specie, quae in delinquentibus exhibendis versatur, exponamus.

Ne vero temere atque inauspicio rem aggressi videamur, naturamque et veritatem neglexisse, prudentissimam hanc ma-

A

gistram, antequam ad ea, quae mutanda hominum arbitrium addendave putavit, proficiscimur, de suis principiis ipsam confulere lubet. Cui quidem generi haud censeo fore ut diu immoremur. Sicut enim ubique ita hic simplicitatem adamat natura, oditque experientiae anxietatem, quae, ut male doceret, nimis distinxit.

Ita autem in hac disputationis nostrae parte versabimur, ut primum, quae externa iubeat obligatio, deinde, quae lex suadeat interna videamus.

C A P U T I.

De universalibus in exhibitione principiis,

S E C T I O I.

Qua cogendi potestate polleant in exhibitione gentes, exponitur.

Duo in primis cum esse videantur, qui possint ius eius perfectum, qui exhibitionem petit, in controversiam vocare, is, de cuius agitur exhibitione, ac ille, a quo eadem exigitur: de vtriusque iuribus nobis erit dicendum.

Iam quae in omni pacto regula viget, ut ultra rei, de qua paciscimur, fines nec iurium commoda possint nec vincula obligationum extendi, eidem et hanc, quae rempublicam inter eiusque cives obtinet, conjunctionem inniti, facile intellegitur. Nam quam ibi, eam et hic voluntatum in re certa et absoluta invenimus permutationem, praestationisque ac obligationis vacuum quidquam a neutra parte relictum. Nec ita-

que nisi ex ambitu iurium eorum commodorumque, quae offerri a civitatis promittendi facultate per conuentionem civilem civibus possint, metiri ingredientis obligationes licebit. Sin autem obligationum ipsarum natura extendi ultra illos limites nequit, modum eum, quo intermissionem earum res publica ita, ut inhibeantur alterius pacis centis facultates, vindicet, eiusque rationem ulterius proferri non magis fas erit. Quod ubi concesserit reipublicae civis, novas passus esse sibi obtrudi, easque iurium concessionum ambitum excedentes, obligationes dicatur. Est autem ille, quo, ut satisfiat obligationi, in cive persequi soleat civitas, modus, ut ad subeundum poenae malum eum adigat. Cuius quidem modi cum ista sit indeoles, qua alterius facultates imminentia diximus, largiendum non erit, ne novae inde proveniant obligationes, extra eius rei, de qua pactum initum est, fines collocatae, ut ultra iurium persequendorum limites proferatur.

Quae autem res publica civi offerre iura ac commoda potest, ea ita comparata intelliguntur, ut aut in ipsa tantum civitate exerceri queant, iisdemque igitur, quibus illa, regionis circumscribantur finibus, aut, ad alienas quoque gentes porrecta, latius patere videantur. Huius generis sunt, quae, ex uniuersae reipublicae iure auctoritateque profecta, in singulos eiusdem nihilo minus ciues vergunt, ut si mercaturaem quidam favor nationi alicui sit in aliena civitate concessus; illius, quae ex territorii potestate legumque ferendarum fluunt, ut dominii, politiae, aliaque emolumenta.

Laevis igitur iuribus his, quorum exercitium iisdem quibus regionem finibus includi diximus, haud concedendum videtur, vt, quonsque iura ciui promittenda extendere non poterat respublica, nec magis quocum pacificebatur obligare, eo obligationis vindicandae modum proferre, et vltra territorii sui fines reum puniendum persequi possit. Persequitur autem, vt se remitti patiatur poscendo. Versari autem quendam faciamus iis in terris, quae, commotae pactorum cum patria eius ciuitate initorum auctoritate, iura atque commoda ei praebabant, patriamque laedi ab eo circa haec, quae genuerat, iura: tueri sese contra eandem, exhibitionem eius petentem, non poterit ea assertione, qua, obligationem suam extendi iniusto modo, contendat.

Sed relicto hoc loco, qui de eo tantum genere exponebat, an cogi e conventionis ciuilis indole a patria sua quis posset, vt se eodem remitti pateretur, res diuidicanda ex ea quoque est parte, quae in illius a quo exhibito petitur, ciuitatis iura inquirit, eoque nos dicit, vt intelligamus, vtrum adigi iure perfecto ad remittendum ciuitas possit a ciuitate, an a remittentis arbitrio pendeat exhibitionis concessio.

Quae vero sunt vnius erga alteram ciuitatis obligationes perfectae, hae omnes negatina quadam lege contineri dicuntur, eoque redire cunctae, vt ne factis turbetur mutua securitas. Duo autem sunt, quae ex hoc principio deducenda videantur; primum: vltra securitatis fines obligationes ciuitatum perfectas erga se inuicem euocandas non esse, quia non nisi eo spectant omnes, vt respublicae sese non exuant ciuitatum

natura, cuius fundamentum in sola securitate positum esse intelligimus; deinde: turbandam alterius securitatem fuisse, si querelae instae locum concedere velimus; quod quidem fieri agendo debere, appareat. Eum vero, qui, turbari alterum ab aliis patiatur, aut damnum inde proueniens restituendum non curet, turbationis accusari non posse, clarum non minus esse videtur atque perspicuum; nisi eovsque extendenda putaueris officia perfecta, vt, ne dicam augenda, tuenda tamen alterius commoda censueris esse atque iura.

Iam iis, quae dicta modo sunt, de loco nostro iudicium subiiciamus.

Peccauerit aliquis in sua ciuitate, fitque amplexus, delicto commisso, alieni territorii tutelam, ibique receptus; percutatur ab illa, in qua deliquerat, ciuitate eius exhibito; recusetur ab hac, quae eum receperat. Quid inde effectum putamus? An turbatam repetentis securitatem? Minime gentium. Etenim non vt turbaretur vicinorum securitas curasse ea, quae recusabat, sed tantum, vt, aliunde turbata, refutueretur non curasse videtur. Commisso demum delicto, perfecta omni laesione ad alienum territorium confugerat delinquens. Agendo igitur in eius criminis locus nullus relictus, aditus clausus auxiliaturis. Quae quidem principia, admissa in genere, an in specie reiciemus? Num exhibitione dengata turbatam alterius ciuitatis securitatem dicemus, cum, qua ex parte turbanda fuerit, ex ea iam antea inueniatur turbata? Nihil igitur loci turbationi relictum cernitur, nisi velis in neglectam eius vindictam notionem ipsius transferre; quod veri-

tati consentaneum non esse, supra demonstrasse videmur. Alia autem moueatur quaestio: an, siue absoluto in aliena ciuitate, quod inchoatum in propria erat, delicto, siue eo omni apud exteris et ab exteris interdum commisso, ei, in quam omne tendebat, delinquentis ciuitati nec hic ius exhibitionis petendae sit concedendum? Quam quidem rem ita dirimendam censemus, vt, si compererit *) aliena respublica de delicto illo aut perpetrando apud se aut continuando faltem, nec exceperit a tutelae beneficio delicti futuri conatum, iusseritue omnino delictum abire **), eam dicamus, ob tutelam delicto tributam, turbatae securitatis ream ab altera ciuitate haberet, et, vt de turbatione illi satisfaciat, iure perfecto adigi posse. Nec laesa ciuitate, satisfieri sola laudentis exhibitione sibi posse, demonstrante, ex arbitrii capite excusare ab ea fese, quae receperat, ciuitas potest.

Quodsi vero antea non compererit de crimine ciuitas laedentis, laesa autem respublica priuet laidentem iis, quae omni, aut laidentis ciuitati singulisque eius ciuitibus pactis alioue mo-

*) Quod quidem genus nouam denno disputationi materiem praebere video iis, qui ex me quaerant: an ciuitas, peregrinum recepta, percontari teneatur, num sunt a recipiendo criminia in alienas respublicas apud se committenda, nece ne? Cuius rei necessitatem impone ciuitatibus nolim. Laedenda enim respublicae curam in se suscepturne viidentur; quo cogi nullo eas pacto posse,

supra diximus. Ulro autem si delicti committendi certitudo quaedam offertur, (cum in suspicione vniuersitatisque lubrico tutelae denegatio collocanda non sit) iis, quas textus exhibet, locum esse affirmo.

**) Vt enim poenam minetur, a laesa ciuitate exigi non posse, ex iis, quae de turbationis natura allata sunt, apparet videtur.

do concesserat, debueratue concedere, iuribus, reum tueri sua ciuitas non poterit, neque tamen ut exhibeat eum aut arcessi a laefo patiatur, cogi.

Ita igitur statuendum de iure cogendi, in alienam eamque inuitam ciuitatem competente, videtur. Quia vero volente, nihil sene exhibitioni, in quantum ab exhibentis voluntate pendet, obstat intelligitur. Sed annon ex alia parte magni momenti impedimenta ei sint obicienda, videamus.

Nescio enim, an iure suo in remittendum ciuitas remifura vtatur. Etenim cum eo iure priuari nequeant ciuitates, ut peregrinum quandocumque voluerint, violatis ciuitatis iuribus ciuem migrare iubeant, eo tamen, quo ciuitatis potestas non potest extendi, non magis iuris illius effectus debet. Neque igitur video, quo iure, si, cui imposita migrandi necessitas erat, reliquerit eius, qui impostuerat, fines, recte ab hoc, quo postea dirigat iter illi praescribente, agi putemus. An vero aliud quidquam exhibitioni inesse videmus? At vero id ipsum efficitur remittendo, ut, non modo suos relinqui, sed definitos quoque fines alienos adiri, remittens ciuitas iubeat. Quia quidem in re ultra territorium iubendi potestatem extendi, vix quisquam neganterit *). Canissam vero immutari nedicas, ubi, a repetente abduci repetitum, quae eum receperat ciuitas, cuiusue est ciuiis, patitur. Tutelam enim, dum in

*) Alter autem rem sepe habere, si fe exhiberi patiatur, ne monendum quidem videtur.
inter recipiendum receptumque ita con-
tulerit, ut einsmodi delicto commisso,

simibus suis commoratur, recepto denegare recipiens non potest, nec ita omnibus simul iuribus inde natis eum priuare; discedas tamen ab ea, cuius supra mentio facta est, causa, ut, committendo apud se in alienam ciuitatem delicto tutelae beneficium haud concedendum fore dixerit. Quae si non adsit causa, is quoque, qui, migrare iussus, migrat e ciuitate, ab aliena laesione in migrando defendendus videtur.

Vt vero mandetur ei, quae receperat, a laesa ciuitate criminum aduersus se commissorum vltio, declinari hoc mandatum a recipiente vbiique fere *) posse putarim. Nam, qui, ut viam punituro muniat, teneri non potest, nae ille non magis, ut, quod ea via petebatur, ipse peragat, adigi posse videtur. Puniendus autem, modo definiuerit mandans ab omni parte iustoque modo puniendi rationem, impedire, quo minus a mandatario puniatur, non potest.

Quod vero caput exhibitionis generibus etiam adnumerare solet laxa nimis hominum ratiocinatio, de eo disputantium argumento, si quis in aliena ciuitate deliquerit, reputaturque a sua: ei quidem generi in nostra causae tractatione locum concedere nolim. Securitatis enim quaestionem mouendam esse a repetente republica, antea dictum. Qua vero ratione ea hic possit moneri, non video, cum non repetentis sed alienae ciuitatis laesio disquisitioni omni originem dederit.

*) Dilectendum nimur ab ea, quam se ei denegaturam esse, non dixisset.
modo commemorauimus, causa: ut, de Puniendum autem eo minus inde ad
delicto futuro certior facta, tutelam poenam teneri, facile intelligitur.

Praeterea autem inde, quod aliena ciuitas laesa sit, ut eadem, quae ex laesione nascantur, in laudentem suscipiat, sequitur. Nec sane ille peregrinus, qui alienum territorium adeundum censuerat, neglectis illis, sub quibus peregrinorum iura mancisci poterat, conditionibus, ut ab iis, qui praescripserant has, praebuerant illa, ius sibi dicatur, recusare potest. Adierat enim vicini territorium, eoque facto illis sese conditionibus subiecerat. Posset autem recusare, si, quam non laeserat, ciuitas sua, exhibitione petenda alienam vindictam suscepturna, ad poenam apud se luendam sine laesae ciuitatis quodam mandato eum vellet vocare.

Légatos autem quod attinet, in quibus varii in varias partes disputando abierunt, tantum abest ut doctissimorum clarissimorumque virorum opiniones dijudicare conemur, ut, quod subtilem eorum disputationem cum propria qualicumque meditatione comparando assedit videamur, id solum in medium proferendum censeamus.

Quae quidem tractatio tripartita apud nos erit. Potest enim et in eam, quae miserat, et ad quam missi erant, et in alienam quandam ciuitatem a legatis delinqui. In omni autem disputatione praecipua quaedam ratio habenda videtur mandati eius qui misit, illiusque, ad quem mittebat, in mandatum consensus.

Primum igitur de ea causa dicatur, quod in eam, quae miserat, ciuitatem peccatum a legato fuerit.

Iam cum agnosceret is, ad quem legabatur, legatoriam eius, qui missus fuerat, qualitatem, agnoscisse simul intelli-

gitur eius, qui legarat, potestatem mandandi. Quia quidem declaratione non potest non effici, quin et ea, quae ex illa potestate iura fluant, eidem concessisse dicatur. His autem iuribus accenfendam esse facultatem et suspendendi et reuocandi mandatum qui neget vix inueniatur. Quodsi igitur placuerit mandanti ob mandatarii delictum reuocare mandatum, quemque legauerat repeteret, ille, ad quem missus fuerat, laedere ea, quae olim spoponderat iura, tutela reuocato concessa non poterit, neque, ut amplius in territorio suo commoretur, permittere. Ad transmissionem autem non modo teneri, sed ne iure quidem suo in ea vti, ex iis, quae supra monuimus, patet. Non enim nisi de laesione vitanda praecepit lex, nec quid, relicto territorio, exsuli agendum sit, debet ille curare.

Praeterea autem si ex me quaeras, quatenus legatus, si exhibitionem praefstandam putarit ea, ad quam missus erat, ciuitas, ut se remitti patiatur, ab ea, quae legauerat, ciuitate adigi possit, in duas responsio mea dilabitur partes. Quum enim quicumque legati munus suscepit, debeat pati, vt ab ea, quae miserat, ciuitate repetatur, magnum post exhibitionem peractam discrimen inter eos, qui sint cines reipublicae eius, ad quam remissi fuerunt, legatos, ac illos, qui a peregrina ciuitate legationis mandatum acceperant, intercedere milii videtur. Hos enim, milii persuadeo, tantum, ut de delictis in legatione commissis, habitu peregrinae conditionis respectu, puniantur, pati debere. Illos autem, putarim, non solum ut in his, quorum modo facta est mentio, sed et

in illis criminibus, quibus, e iuribus, quorum vigor et apud alienas gentes se se exserit, laesa ciuitas est, puniendi eius potestati se se subiiciant, teneri.

Aliud sane de iis delictis, quae a legatis in eam, apud quam commorantur, ciuitatem admittuntur, iudicium ferendum videtur, ex eodem tamen, unde superius, fonte hauriendum. Duplices enim partes sustinere videtur omnis legatus, legati, ac priuati hominis. Quod vero de eius officio pactum initum inter mittentem recipientemque ciuitatem est, id non nisi ad priores pertinere appetet. Inde vbi vi mandati delinquat legatus, de vindicta e mandante sumenda agitur, nec, qui peccarat, sicutmet ipsius puniendi causa exhibitionem poscere posse intelligitur. Sin autem extra mandatum admissum fuerit crimen, pacti illius ratio habenda *). Fac igitur poenae delicto imminentis eam indolem esse, ut mandati executio inde non turbetur, quid impedit non video, quo minus ab ea, in quam peccatum fuerat, ciuitate ius animaduertendi exerceatur. Punitur priuatus, legatus iuris sui integritate vititur. Ut vero eiusmodi poena infligenda videatur, qua a mandato libere peragendo avocetur puniendus, mittens ciuitas punituro adeunda est, et ab ea petendum, ut ant ipsa puniat, aut a se puniri patiatur; neque puniendo exceptionis ullius refugium relictum hic esse videmus.

* Quo et delicta, quae a legato, mandatum iniusta ratione interpretante, admittuntur, pertinere videntur.

Vt vero in alienam ciuitatem peccarit legatus, exhibitionem ab ea ciuitate, apud quam legationi praefest, exigi non posse apparet, cum, quod raro cuenire demonstratum est, necessitate exhibitionis ei iniuncta, hac in caufa, mandati illius agnitione quominus generali officio satisfaciat impediatur.

Nec in familia comitibusque legati alia quaedam principia admittenda videntur. Etenim, quoties de earum punitione eiusque iure ita agitur, vt legati ipsius officium inde non inhibeat, in priuatorum numero sunt habendi. Simulac autem officio illi detrimenti quid inde immineat, legatum in eadem iura, quae mittenti supra tribuimus ciuitati, succedere putamus.

Caeterum ea, de quibus in hac disputationis nostrae parte exposuimus, principia ad eum, quem statum collisionis vocant, v. c., si ea, que exhibitionem petierat, ciuitas deneganti, nisi concesserit, minetur interitum, non transire, vix afferendum judicau. In tali enim discrimine conferuationi facile cedere omnia, suam quemque videoas edocere naturam.

S E C T I O II.

De eo, quod lex interna praecipiat, differit.

Enucleatis, prout fieri potuit, iis, quae de extērna remittendi obligatione monenda viſa fuerant, ad id iam translimus potius, quam vt transire videamur, libelli nostri caput, quod, a priori ex omni discrepans parte, de interna exhibendi lege praecepit.

Iam vero vbi mouetur de reorum exhibitione quaestio, non agere videmur, nisi vt, vbi recte interdum puniendi sint, erudiamur. Omnis igitur disquisitio, si e loco in personam transferas, iuris puniendi parte quadam continetur. Huius igitur iuris, vt, vnde egrediamur, quoque reuertamur, habemus, finis proximus necesse est petatur atque obiectum. Poenam autem actumque puniendi facile inneniri appareat, cum e poenae demum necessitate omne ius fluxerit puniendi. Quare non sine iure nostro omnes perhibemus eiusdem iuris species, totumque illud genus, quo et delinquentium exhibito pertinere videtur, si loci rationem habeas, eo redire, vt, vbi optime intelligatur puniri, ibidem puniatur. Cui quidem capiti pro virium nostrarum modulo lumen affundere placet.

Possimus autem locum, vbi optime poena infligatur, multiplici diiudicare modo ac definire. Prudentius tamen fecerimus, si, a poenae ipsius indole atque consilio profecti, ad locum, vbi optime ei satisfiat, a rei natura nos perducsciamus, quam vt, alienis quibuscumque incumbentes, et incertiora quaque ab incertis sperando, fortuna potius casuque quam arte ac ratione nos, quo velimus, ferri patiamur.

Duae autem in primis constituantur poenarum virtutes, quarum una internae veniat nomine, externae altera. Haec in effectu posita est, illa in qualitate poenae ipsius, eiusque ad factum, quod puniendum videtur, relatione. Nam est ista sane vniuersalsque poenae natura, vt, quae facti vitio sint contra aeternam iustitiae legem admissa, ea animi humani virtute ac sapientia emendentur, instaque quadam hominum vo-

Iuntate inhibeantur iniusta. Meminerit igitur quicumque puniat, parem, ne inhibendi excedantur fines, esse debere delicti rationem ambitumque ac poenae. Quod vbi fecerit, internae illi studiaffe virtuti dicatur. Externae autem, quae ab esse pendet, et priori est subiecta quodammodo, duas rursus nostras omnes faciunt partes, a re ipsa petitas, primam, ut avocentur alii deterreanturque, alteram, qua corrigatur punitus.

Quo quidem loco, brevibus iam perspicuitatis caussa perpenso, cum omnis punitionis indoles et virtus absoluvi videatur, ibi apparet poenam esse infligendam, vbi quam certissime illas virtutes affequi licet.

Erat autem, vt de singulis sigillatim dicatur, omnium prima inuestiganda delicti ipsius species ac quantitas. Quam rem vt feliciter aggrediamur, quae ad naturam delinquentis et voluntatem, quaeque ad delicti indolem formamque vello pertineant modo, ea singula et cuncta diligenter necesse est percontemur. Ne vero diligentia illa temporum intercidatur, vt fieri solet, intervallis, reique ipsius ambagibus veritatis certitudo perimitur, quam proxime puto accedendum esse ad eam, quae e loco proficiuntur, speciem, ipsamque vbi, natum esse scimus, delicti patriam. Inde enim, tamquam a teste, ab ipsa natura nobis suppeditato, quae e ratione memoriae humana aut dolo prohibebamur elicere, aut necessitate, haec omnia discimus integerrima. Ea vero, quibus hominum lingua et mens iam succurrebat, momenta, faciliora adhuc et certiora loco ipso adiuuante prodire videntur. Deinde vbi in externae illius

virtutis partem priorem inquiras, quae de aliis deterrendis exponit, non poterit non enenire, quin et hic mirifice te videoas adiuuari loci propinquitate. Nam si ad necessitatem respiciimus, qui vñquam angulus iure postulet potentiori, quae sceleris exempla hominum exhibuerit improbitas, ea, quo minus a prauissimo quoque mox reducantur, poena impediri atque iustitia, quam, qui ipsum nutritab scelus, eiusque vestigia, terrae ac tenaci praesentium improborum memoriae impressa in se continet, et quasi viua; sin ad efficaciam, quem vñquam tibi eligas locum, quo vulneri medeare, quam vbi vides illatum; sin denique ad facilitatem, quem facilius a scelere possis auocare, quam, cui, ipsum facinus adspicienti, mens iamiam vindictam praesagire videbatur futuram, et qui tot sibi persuadet satellitibus poenam defendi, quot in delicti loco inueniri solent indicia? Ultimam demum prosequendo, quam faciunt, poenalis consilii partem, omnem inuenimus, si qua vñquam malefici a poena speranda sit, correctionem ex arcto poenae cum delicto nexus plerunque proficiunt. An vero male per locum putas connecti in delinquentis animo recordationem delicti poenaeque sensum? Vbinam quae si vñquam poena iniuncta eum poeniteat, ad frugem censes redditum, nisi, vbi velut praefens scelus de verissima eius eum admoneat ratione?

Sed haec omnia quid ad nos, de delinquentibus exhibendis disputatuos? Plurimum vero, inquam. Meministi enim, nos exhibitionem ad ius puniendi omnem referre. Lineis igitur huius iuris quibusdam, ita ut ad locum vbiique respicetur, designatis, nos iam in eo esse appetet, ut, quae de ge-

nere assumenda videbantur, ea transferamus in speciem, susi-
neamusque, naturae suadentis vbi valeat ratio, ibi delicti fo-
rum omnia sequi, vnaque aut nasci remittendorum reorum
aut perire necessitatem.

C A P U T II.

*Principia, quae inter gentes obseruare
licet, examinantur.*

Haec igitur erant, quae de certa naturae legislatione poterant disputari. Iam quid vaga hominum voluntas con-
stituerit videamus. Quae cum omnia soleat miscere divina
atque humana, malo nescio quo interpretandi artificio, quae
modo sciungenda praedicauerat, ea vniuersi rursus cupit; neque
constantius quidquam in ea intenuit quam incertitudo qua-
dam principiorum. Imitationis quoddam prae se fert studium
legis illius, cui explicandae in prima disputatione operam de-
dimus, callide autem temporum commode rationi vbiique
inservit. In facto omnia eius principia collocata cernuntur,
nec nisi e factis ipsa diiudicanda.

Antiquissimi vero temporis scriptores, cum, aut rei no-
straे ignari, aut de varia factorum indole haud meditantes,
nihil fere nobis nisi inanem principalis vniuersiisque facti de-
signationem tradiderint, acre de vlla eius temporis ditione
iudicium ferri non posse videtur. Caussae, dum, ad effe-
ctum delati, de belli pugnarumque varietate atque fort-
una diserte exponunt, obliuiscuntur, nec quidquam mo-

menti in ea putant ineffe. Qua quidem incuria efficitur, ut
faepe' ne cognoscamus quidem, quid bello finito in deditio-
nis causa fnerit mutatum. Petitatam saepius esse patet exhi-
bitionem postulatamque, minis bellique terrore plerumque
suffultam.

Sic Lacedaemonii, cum' non exhiberetur a Messeniis, qui
Laconum quendam interfecerat, bellum his intulerunt ^{a)}; nec
alia causa subesse videtur illi bello ^{b)}, quod, virginibus fa-
era facientibus violatis, cum eadem gente ineundum Spartani
putabant. Hamilcarem, Galliae concitatorem, dedi sibi Roma-
ni a Karthaginensibus ^{c)}, ab Hernicis antem, vt, qui agros
populati essent, traderentur ^{d)}, postularunt, recusantesque bello
castigandos esse non dubitauerunt. Eundem morem Galli
imitati, cum, Fabiis non deditis, ad belli necessitatem se de-
ductos putarent ^{e)}. Videmus igitur promissimas ad bellum,
ob denegatam deditioinem inferendum, fuisse illius temporis
gentes; videmus etiam ex arbitrio exhibitionem pendere ^{f)} esse
ratos, qui denegabant. Ne vero nunquam remittendo locum
fuisse putemus, Hammonis Karthaginensis, Catonisque Romani
mentionem facere iubet. Quorum hic Caesarem Germanis,

a) Pan. IV. 4.

b) Disertis enim verbis exhibitionis
petitiae mentionem sive nec a Strabone
VIII. p. 362, nec a Justino, III. 4. in-
uenio.

c) Liv. XXXI. 11.

d) Dion. Halic. VIII. 64.

e) Liv. V. 36.

f) Ut rudiis iudicandi rationis exem-
plum afferatur: non discerni volunt Kar-
thaginenses, utrum Hannibal, quem
dedendum postulant Romani, priuato,
an publico consilio, laeserit. Liv. XXI.
28.

ob belli iniustiam ^g), ille autem Romanis Hannibalem, ob foederis violationem dedi ^h), nescio ipsiusne causae ratione an gloriae fortunaeque inuidia seducti, voluerunt. Quid? quod a Romanis, exstincto iam Karthaginis splendore, opibusque gentis destructis, eos, qui horum legatis manus intulerant, Karthaginem mitti dedendos ⁱ), legamus. Praecipua vero laude vt principiorum ratio habeatur, Atheniensium prudenter afferenda videtur, qui, vt et Philippo satisficeret, neque remittendi iuribus quidquam detraheretur, praeonis voce, qui cumque regis vitae insidiatus, Athenis commoraretur, [eum dedendum esse, edici curarunt ^a).

Caeterum cum vbiique horum exemplorum non nisi deditio-
nis mentio fiat, tamen et mandati illius, quod in alium ius
transfert puniendi, vestigia quaedam apud veteres inuenimus.
Nam Caerites, cum Tarquinensium populationibus interfuisse,
a Romanis arguerentur, eos a quibus peccatum fuerat aut de-
dendos, aut apud se puniendos offerebant ^b). Illam vero ratio-
nem, quae in rei migratione posita est, non magis veteres su-
gisse deprehendimus. Sic enim Cymaei, Pactyen, Lydum,
Mytilenen discedere permiserunt ^c); eodemque modo Perseus,
Macedonum rex, vt, qui Eumeni insidias struxissent, e regno
abirent, iussisse dicitur ^d).

g) Suet. Caef. 24.

b) Liv. VII. 20.

h) Liv. XXI. 10.

c) Herod. I. c. 160. 161.

i) Liv. XXXVIII. 42.

d) Liv. XXXXII. 41.

a) Diod. Sic. XVI. 95.

Haec fere sunt, quae vaga admodum ex incerta vetustatis nocte protracta videbantur. Vtinam, quae est factorum eadem principiorum quoque nostra aetate nobis arrideret certitudo. Sed quod supra dolebamus, id et apud nos quotidie fieri legesque e factis deponi videoas. Quo sit, ut et apud eos, qui diligenter hinc rei operam dederunt consuetudinis quidem suasiones quasdam, sed ne speciem quidem legis prae se ferentes, inneniamus. Sunt autem, quae nobis tradiderrunt praecepta, resectis omnibus, quae ex iure gentium vniuersali iis adiecerunt paucissima haec: necessitati locum nullum concedi, in eo consentiunt omnes; affirmant tamen in iis crimibus, quae statum publicum laedant, exhibitionem poenaene mandatum vix recusari ^{a)}). Plerumque autem reciproca faci-

a) Martens droit des gens de l'Europe. III. 5. 84. Vattel droit des gens. II. 676. Qui tamen auctor et in communibus interdum delictis a viciniis inueniunt sibi tradi reos cum Grotio, I. II. 21. 5, affirmat, pactumque tale inter Helvetios initum assert; aliud autem eiusdem gentis cum Mediolanensis assert Simlerus. Nec alias indolis ea, quae inter Suecos Russosque inita in parte Aboensi est, conmentio, in qua haec inueniuntur verba: *tous ceux, qui étant coupables de trahison etc. ou même sans aucune de ces raisons auroient quitté la Russie pour la Suede et parcelllement cel-*

leci pour la Russie, soit seuls ou avec femme et enfans, seront rendus à la première reclame à la patrie dont ils sont fugitifs etc. Ita etiam in commercii pacto inter Ottomannos Russosque initio 1783. legitimus: si dans les états de la Russie il se trouvoit des sujets de la Porte Ottomanne, ils seront rendus à la Sublime porte etc. Günther Eur. Völkerrecht. II. 315. Praeter ea autem innumeris adhuc eiusdem generis exempla inuenias, ut apud Moserum, Verf. d. n. E. V. T. 6. p. 464. Digna autem quae afferatur distinctio quedam aulae Romanae. Cum enim a Neapolitanis milites quidam scelerati

litas offeratur necesse est ^{b)}); saepiusque ad locum delicti quam ad locum domicilii remittitur ^{c)}). Quum autem ne verbum quidem afferendum fuisse videatur de ea causa, quod, vi atque armis alienae potestati eripi reum, pati non soleant civitatis, tamen, haud paucis nefandae huius violentiae exemplis commoti ^{d)}, disertis verbis omnes de ea loquuntur.

simi repeterentur, concedentes exhibitionem, ita differueru Romani: *S. S. veut bien que l'immunité subsiste en faveur des malheureux, que des accidents involontaires obligent à chercher refuge; mais Elle ne permet pas que ce soit la ressource des criminels, et de ceux, qui se rendent indignes de toute protection.* Cuius quidem sermonis pars prior excludere ab exhibitione delicta leniora videtur, nec adueratur huic tententiae Grotius, qui *L. c. minor, ait, crimina, mutua dissimulatione transmitti inualuit.* Egregie vero Martens *L. c. §. 84. auff.*, inquit, *dans le cas d'une requisition, causée par des crimes, qui attaquent directement la sûreté de l'état, aucun Souverain ne refuse directement de prendre connoissance de ces sortes de crimes.* Experientiae enim nullo modo repugnat, simulatione ac dissimulatione gentes in nostra causa quasi tempore vii solvere. Quin etiam legimus, *vnum ex proceribus Russiae directe respondisse Portae Ottomannicae legatis: aulam suam, quicunque ad se*

configgissent, non dedere.

Pol. Journ.

Sept. 1787. S. 915.

Ex nulla autem re melius demonstrari exhibitionis arbitrii agnitus a gentibus, posse videtur, quam ex eo ipso quod pacta demum de eius necessitate in eundem confuerint.

b) Cf. Moser, *Versuch. VI. p. 462.* Exempla occurunt p. 465. Quid vero de eo nescio aequitatis sensu, an iniquitatis studio dicemus, quod anno 1761. in Francogallis animaduertimus? Quod quidem regnum, ut a Batavis deditionem equitis a Maupertuis impetraret, proprio se mou, promittebat, nobilem Batavum a Schouenbourg, eiusdem apud suam ciuitatem, cuius Maupertuis apud Francogallos, criminis reum, simulac intrasset suos fines, Batavis dediturum.

c) Varia tamen et apud Moserum et apud alios principio illi contraria existant exempla.

d) Duas tantum exemplorum species afferre licet. Nam cum comes quidam

Concedunt tamen subitaneam criminoforum perfecutionem, trādendorum, vbi comprehensi sunt, loci illius magistratui ^{a)}, a quo exhibito literis, quae reversalis audiunt, interdum datis, petatur, Merae autem humanitatis esse videtur, vt sponte rei exhibe-

Franciens, a Serdan, qui deliquerat in Francogallia, Amstelodamum se contusisset, manum militarem, quae clam eum abduceret, eo mittere Francogalliae rex auctor est. Quos Roterdami versari cum munciatum Batauis esset, eos comprehensos in carcere coniecerunt, reiectaque Francogallorum regis exultatione, capitali, qui militibus praecerat, carceris autem poena milites curarunt afficendos, nec nisi in ipso poenae momento ignoscendum iis putarunt. Ipsius autem exhibitionis lis amplius non agitata, *Gesell. der vereinigten Niederr.* VI. p. 577. seqq. Quae quidem violentiae via tria videtur Francogallus fuisse, enim et hominem quandam Mandrin nominatum, commissorum remm, in Sabaudiam usque militibus persecuti, ibi comprehendenderint. Magni inde simulata exorta, Francogalliae rex, se inquit omnia facta similans, ita componebat studuit li-
tem, vt satistaret laeso per eos, qui manum miserant, ipse autem rex follemi declarationis suspicionem futuri temporis declinaret. Moser, I. c. p. 385. Aliud vero exemplum Pufendorfius re-
g. Fr. Willi. lib. XI. §. 105. seqq. exhibet, e Kalksteinio quodam petitus. Qui

cum ab grauia delicta, infidiasque Electoris vita struntas, in carcere ab Electore Brandenburgico coniectus, indeque, iuramenti religione interposita dimissus intra praedii sui fines esset, spretis omnibus, Warsouiam se recepit. Illic eti-
nova quadam in Brandenburgium Elec-
torem moliri constabat, idemque laepius
repetebatur ab Electore, nihil minus a Poloniae rege tutela ei non denegata, im-
mo datae a Senatu literae protectoriae. Cuius iniustitia sensu accensus, legatus Brandenburgiensis apud Polonos, Kalk-
steinium clam deprehensum in Borussiam abduci curavit; ipse Poloniae mox fines egressus. E quibus cum non posset non
oriri magna inter aulas dissensio, rex,
v. Kalksteinius remitteretur cum eo qui
manu illi prae fuerat. ac in Borussia ver-
tabatur, petebat, Elector, legatum sine
mandato egisse, simulabat. Kalksteinius
autem, Electore dissimilante, morte
muletatus est Memelae; legatus, contri-
max futurus, Custrini in iudicium vo-
catus; signifer ille, publice Regiomonte,
antea abire iussus, citatus. Itaque haec
controvergia, alias superuenientibus curis,
diremata.

a) Moser, I. c. VI. 465.

D

antur ^b). Mandatum autem poenale non minus saepe quam deditio occurrit. Ei autem iuri, quod repressiarum vocant, et hac in causa locum inter gentes esse, facile intelligitur ^c).

Cum vero, quae hucusque attulimus, incerta quodammodo viderentur, incertiora erunt, quae iam de legatorum exhibitione dicemus. Nam, *eo tantum*, ut Grotius ^d) dicit, *spectandum, quo usque gentes consenserint*. Apud veteres quidem semper fere redditos esse ex Livio ^e), Sallustio ^f), aliisque veterum locis ^g) patere videtur ^h). Comites autem eodem quo legatos iure fructos esse, putamus ⁱ).

Nostris autem temporibus ita inualuit, ut si in legantem peccauerint, renocentur, aut eorum exhibito petatur ^k), si vero in eius, ad quem missi erant, ciuitatem, aut comprehen-

b) Exemplum exhibet *l. c. VI.* 428.

c) *Moser*, *l. c. V.* 382.

d) *Grot.* *l. c. II.* 18. 4. 2.

e) *Liv. II.* 4.

f) *Sall. Iug. c. 59.*

g) *Dion* in exc. legg. *I.* 24. *n. de ind.*

h) Alium tamen morem sequebantur in vicis, *Liv. XXV.* 7. aut ubi necessitas alia inhebat. Ob vim armatam occidere licebat, *Liv. V.* 38; iure talionis in iis ubi maximam partem non videntur. *Liv. VI.* 6. *XXX.* 25.

i) *Sall. I. c. Liv. I.* 24.

k) *Moser*, *l. c. IV.* 376. seq. Illustrare sane in contrarias partes exemplum praebent recentissima tempora in Arm-

fedio, Sueciae apud Neapolitano s legato. Quia, cum, laefae manefias apud Suecos reus, a Sueciae regni administratore literis priuatis, ad Neapolitanum regem directis, revocaretur, missis simul, quibus traduceretur, nauibus: ita feso ab exhibitione excusarunt Neapolitani, ut formam retinendi follem nem neglectam dicerent: laefinque ius gentium esse; cum, non vi Neapolitani tradarent eum, sed vt potiundi facultatem iis, qui a Suecis missi fuerant, darent, petitum postulatumque in illis literis esset. Inuria autem ita differuisse, viri, iuris gentium periti, non putare dicuntur; neque ex iis, quae supra tradidimus, praeceptis,

dantur ^{l)}, si graue in rem publicam sit delictum, aut finibus electi, leganti, vt puniat, tradantur^{m)}; vbi vero priuati deliquerint, eorum revocatio petaturⁿ⁾, aut si grauiter commis- sum sit, libertate erupta, remittantur^{o)}.

Comites autem incerto, pro diuersa conuentionis natura iure vti, omnes affirmant. Remittuntur ad legantem, aut e seruitio dimissi, territoriali interdum iudici traduntur^{p)}; neque legato vbiique, vt comprehendat familiae suae homines, permisum^{q)}.

D 2

qui ita disputant, refellendi. Quodsi autem vera sit, vti esse videtur secundum ea, quae hucusque comparuerunt, instru- menta, ista eius, qui Romae Suecorum negotia expedit, accusatio, misericordie licet, qui sciariorum more, ni alia offerre- tur copia, Armfeldio potirentur, non mor- do viim perauda sed laudanda Neapolitanorum est diligentia, qua reum territoriorum que tuendum ab iniuriis curarent; immo sollemni more etiam repetitus suuffer- tamen, vterritorii iura illibata manerent, de- tineri potuisse videntur Armfeldium, de- fensuri non delinquentem sed gentium iuris integritatem.

*l) Martens, l. c. p. 281. Adelung
Staatsgech. IV. p. 134.*

m) Moser, l. c. 378.

n) Martens, l. c.

o) Moser, l. c. 409. Respicias tamen Archenholz Briefe über England, Abschn.

8. Nam in hac terra priuilegia legato- rum in causis criminalibus valde sunt immunita.

*p) Exempla praebet Moser I. c. 324.
(videtas autem Bynkershoek for. leg. c. 15.) et congressus Nimwegenf. et d'Aix de Chapelle.*

q) Singulare sane est, quod exhibet Vergleich zw. d. Reichsständen u. d. Reichserbmarschall. 5. Nov. 1614. (Ap. Roemerum, Völkerrecht der Teutonen pag. 155 et apud eundem Gesellschafts- recht, p. 338.) de statuum Germanicorum legatis exterorumque legatorum comiti- bus, Archimareschalli Imperii, Electoris Saxonie, et Marschalli Imperii heredi- tarii imisdictioni in electionis et coro- nationis diebus subiiciendis. Qui qui- dem auctor egregie etiam de dubiis sta- tum imperii erga Imperatorem in re nostra iuribus exponit. Papam vero

C A P V T III.

*Sanctiones de exhibitione reorum, iure Romano
obuiæ, explicantur.*

Liceat iam ascendere rursus ad vetusta, et quae Romanorum prudentia stabilienda censuerit breuibus recensere. Non autem deerunt, qui facillimo negotio nos eo munere perfungi posse dicant, cum, quod a natura constitutum dixerimus forum delicti, id iuris Romani conditoribus probatum esse legatur. Nihilo tamen secius inquisuisse inuabit in rem tripartitam quidem hominum sermonibus, sed nondum expeditam propter antiquitatis incertum, ac in easdem, quibus frequens interpretum senatus vsus est, leges. Qua in re parum abest quin multitudine potius earum impediatur quam paucitate. Tot enim in hoc iuris capite tamque diuersa exstant Romanorum praecepta, vt, eius difficultate implicantur, sedulitate atque diligentia, quod veritati deesse intelligebant, suppleri, sibi persuasissime videantur. Cuius rationem vbi perpendere velimus, non est quod ullo modo fluctuemus. Nam cum iuris auctores incredibilem quandam rebus quibuscumque ciuilibus darent curam, singulasque non magis quam totum earum genus inaudita quadam industria polirent, tangopere ea re occupata dicunt eorum natura fuisse, vt haud raro, quae ad criminum caussam pertinerent, ea aut praeterierit, aut incertitudine la-

modo legatus eius e superiori clero fit, in iure Romano - catholicae religioni addicteis, iurisdictionem, idem affirmat.

bōrare non sit indignata. Quod vero dolemus hoc legum Romanarum vitium, eo quo vtebantur iudicij genere, si ad nostrum locum redeamus, non minuebatur. Etenim accusatione demum insituta ad ius dicendum index adigebatur, nec itaque ad sponte eruidos auctoritatis suae fines se inuitatum censebat, dormiebatque, necessitate non incumbente, peritiae in ea re cura. Atque, quasi impedimenta satis multa nondum affuerint, acceperunt haud rarae illae potestatis, auctoritatis, formaeque iudiciale cum in vrbe tum in prouinciis immutationes, firmiora quaque antiquitatis robore ac certiora nouitate sua inuertentes.

Attamen inficias ire non ausim, certa haud paucis iureconsultorum, eaque prudentissima huius rei fuisse consilia, neque vero, vt immutabili legis auctoritate saucirentur, inde effectum. Sic, quae ipsa argumenti nostri ratio iam nos docebat fori e delicto constitnendi commoda, ea Romanorum sapientiam non probasse modo ^{a)}, sed et alia, e Romanae potius legislatio- nis indole hansta, iis addidisse, veluti magistratum tuenda iura ^{b)} meliorem damni restitutionem ^{c)}, laesorum solatium, accusationis facultatem ^{d)}, eiusque generis alia ab iis enumera- tata legimus. Caeu tamen putes, de quibus mente ipsis fuerit persuasum fori illius virtutibus, iis legibus quoque semper muniuisse viam. Magna potius variarum sanctionum varietate,

a) L. 28. §. 15. π. de poenis. nov. 154.
§. si quis. Nov. 69. c. 1. §. hoc confid. l.
2. Cod. vbi de crimin. l. 1. pr. π. de
poenis.

b) Arg. I. 15. π. de off. praef.
c) Nov. 69. c. 1. §. quid enim.
d) Nov. 96. praef. et c. 2. l. 23. §. 15.
π. de poenis.

modo primam quamque euolueris legem, te huic illucue abduci videbis. Nam cum qui crimini sibi putant, Romanam constantiam non a qualibet iniuria vindicasse, haud paucas reconstituant leges, ante Iustinianum scriptas, quibus soli foro delicti fauere legislatorem intelligimus, alios quoque locos, diuersa indole sua omnia haec infringentes, afferre liceret, immo propriis illorum armis dimicare contra eosdem. Quas enim a suis partibus stare dicunt leges, eae pleraeque aut de specie casuue quodam singulari praecipiant ^{a)}, et ita rem vniuersam laborare dubio indicare videntur, aut verborum natura, vsu potius suaderi, quae moneant, quam exigi a necessitate ^{b)}, demonstrant. Praeterea autem non negligenda est illa lex, quae, etiam vbi reperiantur delinquentes, de iis iudicari solere, certis perhibet verbis ^{c)}, nec sane ista, qua in criminali negotio quocumque accusatorem rei forum sequi debere ^{d)}, fancitur, et cui quodammodo et aliis legis monitum adsentatur ^{e)}. Effectum igitur credimus, vt appareret, legislationem Romanam in foro delicti iubendo non omnem sibi constituisse, sed diuersissima quaeque de specie ac genere interdum constituentem, iudiciali magis voluntati quam auctoritati legum haud raro reliquisse omnia. Alienum igitur non videtur de loco reorum remittendorum certa illius temporis principia deesse. Tantum autem abest, vt locis quibusdam, qui verbis directis de illo

-
- a) L. 1. C. ad l. Inl. rep. l. 7. §. 4. π. §. 15. π. de poen.
de accus. l. 23. §. 15. π. de poenis. l. 5. π. de crim. π. de re milit. l. 3. π. de off. praef.
b) L. 7. π. de cuss. et exhib. reor. l. 28. d) L. 5. C. de iurisd. o. iud.
c) L. 1. C. vbi de crimm.
e) L. 11. §. 1. π. de cuss. e. exhib.

foro dicunt, a sententia nostra auocari nos patiamur, vt videamur potius et ab iis defendi. Namque nos non fugit, esse locum^f), qui, rescripta quoque pro delicti foro militare, doceat, aliquique, quem in genere illud forum comprobare videamus^g). Sed, vt taceamus, inde intelligi, Imperatores rescriptis deum dirimendam hanc rem censuisse, nec vnum tantum sed plura^h), vt propria iureconsulti verba sequamur, necessaria fuisse: ab iisdem, sub quibus vixisse dicuntur illi prudentes, imperatoribus scripta legitnr illa, quam in contrariam et nostram partem abire supra monuimus, sanctioⁱ); vt, aut libimet ipsos fanciendo contradixisse eosdem imperatores, aut anteriora illa, quorum e iureconsulti verbis modo facta est mentio, rescripta fuisse, contendere, utrumque autem nostrae opinioni fauere teneatis. Illam autem legem, quam secundo loco pro nostra sententia attulimus^k) longe adeo recentiorem esse, ne monendum quidem videtur. Verbis potius ipsis^l) Dini Iustiniani nos defendi immabit: *hoc enim, inquit, apud legislatores praecedentes varie quidem dictum est, licet non pure, et sicut non illud considerauimus cet.* Quo factum est, vt, cum nouellis constitutibus hand paucis imperator constituendum denso iudicaret, quod veterum legum auctoritate non satis fundatum videbat, forum delicti, alia ingrediendum via non putaret, quam, vt rei probabilitate hominum animos ad noua haec alliciendo, omnibus

f) L. 7. n. de cust. c. e. reor.

i) L. 1. C. vbi de crim.

g) L. fin. n. de accus.

k) L. 5. C. de iurisd. o. ind.

h) l. 7. C. de c. et exhl. reor.

l) Nov. 69. c. 1.

fere eius tenoris legibus^{m)}) rationes, e quibus fluxissent, adderet, eam vero, quam velut omnium caput praefigebatⁿ⁾, pertinaci sine dubio gentis mente coactus, graui poena, cinguli interdum priuationem exiliumque iudicis recusationi minante, muniendam censeret. Atque ex illius tandem Imperatoris tempore intelligitur certo iure delicti forum reorumque ad idem exhibitionem immutabili lege apud Romanos valuisse.

Hanc vero si quis moueat quaestione, vtrum sponte an ab alterius officio excitatus remittere debuerit ille, apud quem reus degebat, iudex, in eorum sententiam discedere par est, qui excitatione opus fuisse suffissent. Eo enim nituntur fundamento, quod legibus de excitatione semper sermonem esse videamus, et aut scripturae mentionem fieri litterarumque^a), aut nuncii cuiusdam edictorumue publicorum^b). Validissimum autem, quo impeditam videmus exhibitionis facultatem atque coarctatam, vallum inuenimus fori priuilegia. Sunt vero tres eorum potissimum classes, militum, clericorum, legatorum. Quas quidem et a Romanis, priuilegiis quibuscumque omni fauentibus modo, adoptatas fuisse, facile nobis persuademus. De militibus primo dicatur. Varias autem et illares experta, prout temporis ratio iubebat, immutationes videuntur, e crescente hand dubia diminutio rei militaris splendore profectas. Nam si in D. Pii aetatem inquiras, magnum

m) Nov. 8. c. 8. nov. 69. c. 1. nov.

96. praef. et cap. 1.

n) Nov. 135. c. 4.

a) L. 7. π. de cift. et exh. reor. l. 1.

§. 2. π. de req. vel abs. damn.

b) Nov. 134. c. 5. nov. 69. c. 2. pr.

fori militaris in exhibendo fauorem^{c)} fin in Caracallae, usum eius aut nullum plane,^{d)} aut restrictiorem^{e)} tantummodo, fin vero in Valentiniani, Gratiani, ac Theodosii, firmissimam eiusdem auctoritatem^{f)}, fin denique in Honorii ac Theodosii non immunitas modo, ut restituatur inclinantis valde nomen rei militaris, exhibitionis, sed adiectas potius invenias vires^{g)}. Clericorum vero exhibitione paucis perfungemur, cum quae in Theodosii iunioris ac Valentiniani III. lege invenire exhibitionis eorum vestigia putamus^{h)} ea a Marciano imperatore deleta legamusⁱ⁾. Nec fere est quidquam, quod de legis dicamus. Vnicam enim, quae de iis exponit, legem habemus^{k)}, quam omnem eorum exhibendorum copiam denegare sufficiat attulisse. Nequaquam vero silentio praeterendum, Justinianum imperatorem omnia haec, si a monachis, quos in nullo^{l)}, et a clericis, quos in civili criminis iudici laico subesse voluit^{m)} discesseris, vel immutanda vel limitibus circumscribenda iudicasse, lege quadam universalisⁿ⁾ omnem causam ita amplexus, ut, actore reoque in una degentibus provinciis, nullum privilegio villo esse locum, reo autem alibi commorante valorem eorum redire sanciret.

Vagabundos autem ubique posse conveniri ex rescripto

c) L. 9. n. de cult. et exh. r.

d) L. fin. n. de accus.

e) L. 2. l. 3. n. de re mil.

f) L. 1. C. de off. mag. mil.

g) L. 6. Cod. de iurisd. omn. iud.

h) L. 22. C. de Ep. et cl.

i) L. 25. C. de Ep. et cl.

k) L. 24. §. 1. n. de iud.

l) Nov. 79. c. 1.

m) Nov. 83. pr.

n) Nov. 69. c. 2. pr.

Severi et Antonini intelligitur ^{o)}). Resiat, vt de eo limite, qui caussarum genere exhibitioni interdum ponatur, pauca quaedam moneantur. Nam et si plures leges ^{p)} in nullis, neque gravioribus, neque levioribus delictis, nisi privilegia genus aliquod avocent ^{q)}, exhibitioni locum denegare videantur, id tamen vsu comprobatum non fuisse, appetet ex singulari illa Iustiniani in enumerandis delictis diligentia, qua, in omni omnino caussa ^{r)} eam concedendam esse, significavit.

Varias autem quæstiones ab aliis agitatas ^{s)} a nobis non pertractari ignoscet, cum legibus, quibus sustineri dicebantur, eas nullo modo comprobari viderimus.

C A P V T IV.

De iuribus Saxoniciis differitur.

Volupè est ad eum argumenti nostri locum, qui de rebus patriis exponit, transire. Alienas vidimus terras, alienas audivimus leges, nunc quid patrius iubeat nos, quibusque in causis incertitudini alienae certitudine derogaverit legislatoria Saxonum mens, accipiamus. Ita autem versabimur in hoc negotio, vt, quae ad Saxoniā vīla non fuerint pertinere, ea excludantur omnia. Quam vero supra viam secuti sumus, eam

^{o)} L. 1. in f. C. vbi de crim.

^{r)} Nov. 69. c. 1.

^{p)} v. c. l. 1. C. vbi de crim. l. 7. π. de culf. et exh. reor.

^{s)} v. c. superiorem non remittere, quod probari sibi persuadent ex l. 15. π.

^{q)} L. 2. pr. π. de re mil. Nov. 83. c. 2.

^{q)} ex c. in poss. eat. et l. 22. π. de app. et rel.

et hic non relinquere expedite, iisque, quas fori qualitas passa sit, immutationibus omnia subnectere.

Nam antiquis Saxoniae temporibus, ipso Speculi Saxonici auctoritate suffulti, non nisi duo potissimum fora valuisse intelligimus, domicilii atque delicti. Hunc enim illius codicis invenimus locum: *in Merkten oder in auswendigen Gerichten darf niemand antworten, er habe denn da wonung oder gut innen, oder er verbürgte sich mit vngerichtete darinnen. Denn was außer dem Gerichte geschicht, da darf man darinnen nicht für antworten.* Quo quidem in loco duplicitis huiusce fori in primis mentionem fieri, nemo non videt. Notatu tamen dignum, inveniri quoque forum reisitae ^{a)} nec non commemorari forum, ob delictum ab altero agnoscendum ^{b)}. Ultimis vero eiusdem loci verbis nihil aliud sibi voluisse legislator videtur, quam ut, quod passim in hoc codice fieri videoas, quae ab initio dixerat (*in auswendigen Gerichten darf niemand antworten*) eo facilius intelligerentur, sensus autem esset hic: nec enim nisi in suo iudicio respondere quisquam tenetur. Ita, ni fallor, et glossatoris et recentiorum interpretum sollicitam in ea recuram effugiemus ^{c)}. Postea vero iure confuetudineque

E 2

a) Verbis: *er habe denn da gut innen.*

b) *oder er verbürgte sich darinnen.*
Haud enim scio, an cum glossatore excludere liceat caussas criminales, de foro

contractus ei loco sermonem esse dicendo.

c) Quibus autem ex caussis de necessario fori domicilii enim delicti concurru ex ultimis illis verbis persuasum ipsas fuerit, me non satis perficere, confiteor.

apud nos effectum, ut duobus his foris aliud accederet, e deprehensione oriundum^{d)}. Mox vero, an et quale forum praeferendum sit, mota lis nec decisa aliter a viris iurium peritissimis est, quam vt, aequalia singulis iura competere, ac praeventione tantum unius prae reliquis principatum constitui, affirmarent^{e)}. Quam praeventionem citatione potissimum produci, tam verbali (quo et patentes prosecutionis literae, edictalesque pertinent) quam praefertim reali, dubium esse vix potest, cum hoc demum actu judicialis officii vigor in certam dirigatur personam, in aliis vero, vt in inquisitione generali, ad delicti quidem ipsius investigationem tendat, nequaquam vero in certo quodam homine exerceatur. Adversari tamen quodammodo fororum illorum acqualitati videntur resoluti. grav. d. a. 1661. tit. von Iustitiensachen §. 45 f) quae, vestigia opinor iuris provincialis Saxonici secutae, nullam fere tribuerunt auctoritatēm foro delicti, nisi ibidem fiat deprehensio^{f)}. Nec aliam tuetur sententiam Dec. El. 89, quae de iniuriis praecipit, vt non nisi citatione, in ea, vbi delictum

d) Carpz. pract. rer. crim. L. III. q. 110. §. 8. et inquiſ. und Achtsprozess. tit. I. Art. 3.

e) Brunnemann, inq. proc. c. 5. Berg. oec. iur. L. IV. tit. 4. §. 2. not. 4. Boehm. conf. for. T. II. P. II. resp. 1121.

f) Geſtalt dann ſolche remiſſiones ohne das arbitrariae, und der delinquent, wenn er nicht über der Verbrechung ergriffen und angehalten wird, oder ſich

fonſten des orths dingpflichtig gemachet, regulariter nicht in loco delicti, fonſten des orths, wo er ſein domicilium, und ordentlichen Richter hat, oder fonſt anzutreffen, belanget werden muſſt, derſelbe Index auch ihn wieder ſeinen willen ad locum delicti zu remittiren nicht ſchuldig.

g) Landrecht. II, 71.

fuerat, iurisdictione insinuata, ad illud forum reus vocetur, itaque ei vim tribuit deprehensionis ^{b)}.

Quo vero minus quas iam recensuimus leges videas delicti foro favere, eo magis vbi in praefecturis, iisque, quae principis nomine habentur, indicii alias, easque haud parum illis derogantes, invenias constitutiones, silentio putabis non praeterundas.

Ita enim sanxerunt de praefecturis caeterisque Electoralibus indicis ^{a)} leges Saxonicae, ^{b)} vt, neglecta illa deprehensionis necessitate ^{c)}, quicunque in horum territorio crimen, cui poena aut capitalei aut corporis afflictionam ^{d)}, minatur respubli- ca, perpetrauissent, eos, a vasallis, vrbibusque iis, quae patrimoniali iurisdictione gaudent ^{e)}, eodem remittendos inberent. Qui vero petitam hanc exhibitionem recusauerint vasalli, propria auctoritate compelli ab illis indicis non possunt, sed princeps decidat necesse est. Quod cum ex iis ref. grau. verbis, e quibus deducere solent, auf Unserer verordneten Regie-

^{b)} Nam omnem fori deprehensionis auctoratem in senioribus eiusmodi delictis cestare cum Winklero, alisque non solum suffinere. Sic, v. c. cuius rei Winklerus ipse auctor est, iniurias in postribus ore tenus emissas, nulla praecedente citatione, muleta subfrequitur.

^{a)} Nam diferte dicitur §. 45, l. c. so in unsern A. u. Gerichten verbrochen.

^{b)} Ord. prou. d. a. 1555. tit. dafs man die Uebelthüter, et ref. grau. d. a. 1661. tit. von Insutiensachen §. 45.

^{c)} Ref. grau. l. c. verbis: so in unsern Aemttern und Gerichten verbrochen und sich flüchtig gemacht.

^{d)} Ref. grau. l. c. verb wie nun diese gefestigung nur in grauius delictis, welche Leib- oder Lebensstrafe mit sich bringen, statt findet. Quo et fortalitium pertinere, plerique putant: quia haec poena illis equiparari possit.

^{e)} Ob verba legum allatarum: Dia Gerichtshaber, et in derer von Adel oder Städte Gerichten.

rung ansuchen, aegre tantum expromatur, nimurum quae causam tantum proximam reiteratae constitutionis exhibent, usus tamen fori auctoritate firmatum est f). Lata vero iam de delinquentे apud patrimoniale iudicem sententia, infringere publicam hanc auctoritatem, reo illo demum tempore postulato, aut fugiente eo retinendo non potest praefectus g). Impensas autem, si discesseris ab iis, quae exhibitionis denegatione contractae fuerint, restituendas patrimoniali iudici semper esse, patet. Literas vero, quae reversalium nomine veniunt, quod attinet, si mutui officii rationem habeas, interdum tantum, fin ad detrimentum, quod remittentis iuribus inde imminere possit, respicias, cum ipsa lex integritatem eorum tueatur i), numquam necessarias esse putarim. Praetereundum autem non videtur, vasallis etiam k) §. 46. l. c. ex alio capite consuluisse legislatorem, hanc suis iudicibus necessitatem imponendo, ut, si delinquens, quem apud vasallum constet domicilium habere, huius institutam fugiens, illorum iurisdictionem adierit, reputaturque a iudicio patrimoniali, denegari exhibitio non debeat. Peracta au-

f) Berg. el. iurispr. cr. IV. q. 8.

g) Carpzovii Ach-sproc. I. 4. Berg. oec. iur. IV. tit. 4, §. 2. not. 6.

i) Ref. gr. I. c. verbis: und einem jeden an seinen Rechten unnachtheilig seyn solle.

k) Wenn aber eines Gerichtsherrn Unterthan in denen Gerichten, da er ange-

sehen delinquiet, sich flüchtig mache, und unter Unser Amt eines wendet, darauf befagter Gerichtsherr bey denen Beambten umb Vertricknung des Verbrechers ansucht, solle der Beamte schuldig seyn, solchen delinquenten gefänglich zu nehmen, und der requisition gemäß abfolgen zu lassen,

tem antea ab Electorali iudice deprehensione, legis valorem ex ipsis eius verbis¹⁾ puto cessare.

Cum ex ipsis iudicij dignitate omnem hanc remittendi necessitatem descendisse videamus, aliam etiam legibus Saxonis introductam invenimus, ex ipsorum delictorum qualitate prodeuentem. Posita est in rapinae, latrocinii, furtique violenti natura.

Horum enim criminum ab auctoritate ut tutius revocarentur homines, in loco delicti luere poenam voluit sapientissimus Saxoniae legislator, Romanorum veterisque Saxoniae legum auctoritatem²⁾ non sine laude fecutus atque constantia.

Nam cum non paucis anterioris iam temporis constitutis salutari quadam seueritate, de vindicta e violentia latronum sumenda, iusserunt leges, praeterea autem, ut campanarum sonitu fungentium fieret persecutio saepius erat fanciun³⁾), tum factum est eo, quod anno 1719 prodiit, Mandato, ut poenae infligendae ille, vbi deliquerat puniendorum improbitas, locus destinaretur. Quae omnia, multipli postea lege vel confirmata vel etiam extensa⁴⁾), ut eo facilius ad eum, quo tendebant, finem perducerentur, illud tandem anno 1753, 14. Dec.

1) Verbis: *umb Verstrickung des V. et gefänglich einzunehmen.*

m) L. 15. n. de poenis. Sp. Sax. L. II. art. 71. quae Saxonum lex de omni delinquenti, qui in ipso feeleris actu deprehensus, aufugerat, praecepit verbis: *so sollen die Leut folgen, bey Pflicht; die-*

weil sie jennen sehen, der den Friede gebrochen hat; ob er wol in ein ander gericht fleucht.

n) P. O. 1661. t. 10. Mand. 1710. 1713. 1617. Pat. 1621.

o) Gen. 1750. 26. Nov. 1753. 29. Dec. eiusd. an.; 1754, 1756, 1758, 1748.

Edictum promulgatum legimus, quod quantum ad nos pertinet ex ipso eius tenore facile licet dijudicare. Ita enim statuendum, ita consulendum pagorum viarumque paci legislator putauit, ut vagantibus passim latronum eiusque violenti hominum generis aliis ceteruis*) fugientibusque**), licitum esset iis, quibus intulerant praeparauerantue perniciem, pagis ac villis, sequelae, militum, armorum, campanarum, vicinitatis, numerorum (quo et literae persecutoriae pertinent) ope, omni denique, cuius facta anterioribus in legibus mentio erat, modo, improbos hosce persequi, alienam autem iurisdictionem ingressos, implorato†), ut fugientes caperet, illius territorii iudice, (cui persecutionis exhibitionisque ad persequentes vel eum, qui superiorem apud eosdem exerceret iurisdictionem, non denegandae necessitas eadem lege iniuncta est) repetere, remissosque punire.

*) Nam non nisi de raptoribus, latronibus, furibusque violentis, usque in ceteris grassantibus, legi sermo est.

**) Quod ita intelligendum esse Winklerus non sine iure putat, ut fugam ipsam confeluum subsequi debet persecutio. (v. verba Mand, die auf der Flucht entappeten.) Eodem enim favore omni persecutionis temporis concessa, nulla fere deprehensionis in eiusmodi maleficiis auctoritas esset.

Ad literas persecutorias cur idem Ictus privilegium illud extenderit, non video. Primum enim in hominum co-

horta fugiente vix cogitari villum earum commodum potest; deinde ipsa legis verba ei aduersari videntur, que non nisi de personali persecutione expontia, antiquam persequendi morem, (Sp. Sax. l. c. verbis: dem grüßte sollen durch recht folgen alle, die zu jren jaren kommen seyn) adoptasse putarim.

†) Nam, eti ad persequendum tenuit requisitus iudex, sponte ut remittat, ergo idem non potest. Md. l. c. verbis: nach beschehenem Anmelden in loco apprehensionis.

De impensis autem, dandisque literis reuersalibus, has
intuitu tantum illius earum membris, quod de reliquorum
remittentis iurium incolumente promittit (cum ea mutua hu-
manitas ipsa lege iniungatur) sustinendas, illas vero, secundum
verba Mandati ad eas, quae Germanis *Sitzungs* et *Atzungsko-*
sten vocantur, restringendas esse putarim.

Ne vero quis absolutum hac tractatione iuvenilis hoc con-
tentionis specimen iudicet, addendum putavi, eam me pietatis
diligentiaeque operam in patriam censuisse impendendam, vt,
quod in vnius libelli academici finem coarctari vix potuerit, id,
temporis occasionisque opportunitate oblata, aliis duobus exer-
citationibus, quarum altera

de exhibitione delinquentium in Germania

altera

de exhibitione delinquentium quoad Saxoniae fora
privilegiata ac Lusatica
exponet, mandare mecum constituerim.

C O R R I G E N D A.

- p. 1. lin. 21. legend. aggressi
- p. 4. lin. 7. leg. ut reus se remitti patiatur
- p. 7. in *) lin. 2. leg. inter recipientem receptumque
- p. 13. lin. 2. leg. puniendi sint
- p. 21. in not. lin. 1. leg. ob graui

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
CAROLO THEODORO GUTJAHR
S. D. P.
D. FERDINANDUS GOTTHELF FLECK.

Si ullum mihi unquam dulce ac iucundum fuit officium, illud certe plurimi facio, quo me, carissime Gutjahr, fungi coluisti, cum oblata dissertatione de exhibitione delinquentium me laudis *tuae* testem esse ac comitem velle ostenderes. Non ausus sum laudi *tuae* quidquam detrahere, sed potius libellum, cuius argumentum futuro tempore continuare penes animum constitui, nullis plane adcessionibus auctum *Tibi* reddidi, ita ut candide et vel iureiurando adfirmare valeam, ea omnia, quae docte ac eleganter exposita fuerunt, *Tibi* soli esse tribuenda. Licet maximam partem *Tecum* consentiam in his, quae subtilissime abs *Te* prolata fuerunt, in una tamen alterave quaestione, in qua decidenda viri omni eruditioinis laude dignissimi non unam eandemque viam ingrediuntur, iudicis personam hic agere nolim. Exempli loco in medium adferre lubet principia, p. 5. et 6. tradita, quibus gentem alienam ad exhibendum criminis reum non obligari, acute conten-

dis. Ingenii dexteritatis doctrinaeque *Tuae* nulla nec
maior nec locupletior cautio est hac *Tua* dissertatione,
argumenti delectu elegantissima, doctrinae copiis uber-
rima, scribendi denique genere venuustissima, eaque
edenda patriae, patronis parentibusque satisdedisti, vt
Te non solum sustentaturum, verum etiam superaturum
esse expectationem de te conceptam, certissime possint
confidere. Nullus profecto dubito, quin studia *Tua*
sis probaturus Viro illustrissimo, amico principis Sere-
nissimi, pie colendo, cui vt ego quoque gratissimi ani-
mi sensum pro singulari indulgentia, qua meos quales-
cunque conatus adiuvare haud dignatus est, publice
exprimam pietas postulat: ipsique longissimam vitam
prosperrimamque valetudinem flagrantissime appreco,
vt patriae principisque desiderio, gentisque splendidissimae
laetitiae quam diutissime superesse possit. Lar-
gam laetandi materiam iamiam me nactum esse video,
cum *Te*, amicissime Gutiahr, in locum Jurisconsultorum
solennem comitari queam. Quanquam non ignoro, lau-
danda facere, quam laudes suas audire malle liberalia
ingenia, tamen a me impetrare non possum, quin eum,
quem de virtutum *Tuarum* praefantia percipio, laeti-
tiae affectum, oratione quoque complectar. Gratu-
lor *Tibi* insigne doctrinae diligentiaeque monumentum,
gratulor Patri venerando, cui animum deditissimum et
reverentia plenum testificor, et Matri omnium virtu-

tum genere cumulatissimae, filium unicum, qui domestico exemplo praeparatus, prisco animi candore, ingenii acumine, et incredibili bonarum litterarum amore virorum doctorum et Patronorum benivolentia dignum se reddidit, et uno omnium ore, in quibus non alieni a litteris animi est significatio, celebratur. Vehementer opto, vt *Tibi* parentibusque integerrimis omnia bona, quibus humana censetur felicitas, eveniant, in primis vt iis proemii, quae eos, qui de republica et civili et litteraria bene meruerunt, manere solent, mox potiaris, iisque diutissime fruaris. Perfaustum habeas velim, neminem esse aut fore, qui ex bonis *Tuis* et felicitate *Tua* me maiorem voluptatem capiat. Quod reliquum est, rogo quoque vt amorem mihi *Tuum* semper conserves, credasque, mein officiis amicitiae omnibus *Tibi* persolvens dis praecipuum aliquem voluptatis fructum positum arbitrari. Vale meque, quod facis, ama. Scripsi in stud. Lipf. a. d. XXXI. Mart. MDCCXCV.

ULB Halle
003 067 572

3



TA-ol



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres

Inches



DE
EXHIBITIONE
DELINQVENTIVM

SECUNDVM PRINCIPIA

IVRIS PUBLICI VNIVERSALIS, GENTIVM,
ROMANI, ATQVE SAXONICI

ILLVSTRIS ICOTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FERDINANDO GOTTHELF
F L E C K

ADV. IMMATR. ET SOCIET. SCIENT. LVS. SVP. SODALI

A. D. II. APRIL. MDCCXCV

H. L. Q. C.

AD DISPUTANDVM PROPONIT

A V C T O R

CAROLVS THEODORVS GVTJAHR

SORAVIA - LVSATVS

L I P S I A E

E X O F F I C I N A S O M M E R I A.

1795,20.